



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 147. Eugenia Papæ dotes

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1447.

§. CXLVII.

Eugenii Papæ dotes.

Si quæ vitia a nonnullis in Eugenio carpuntur, ex adverso clarissimis longe virtutibus insignis celebratur. Eundem Pontificatum gessit assiduis turbis agitatedum, jam prospera jam adversa fortuna pressus, ingenti tamen gloria omnia, quæ movit, bella feliciter extinxit, nec dissidiis inter Principes Christianos regiminis sui tempore exortis sese implicuit, Græcos ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ reduxit, Armenos, & Jacobitas ad orthodoxam fidem revocavit, Principes demum Christianos ad suscipiendas plures sacras militias excitavit. Porro quamvis eminenti scientiæ fama clarus non esset, nihilominus tamen quædam opuscula adversus Hussitas elucubravit. Viros literatos impense coluit, plures dotavit Ecclesias, & oppido liberalis erat erga pauperes. Spoliatus Marca Anconitana, brevi tempore eandem recuperavit. Depositus in Concilio Basileensi, invicta constantia auctoritatem suam ab indigna subjectione illæsam conservavit, quin iho eos, qui in sui exauctorationem conspiraverant, purpura exuit. Ambitionis tamen labe immunem fuisse, asserere vix audemus, eo quod unice auctoritatis suæ vindi-

vindicandæ gratia diuturnum in Eccle- Sæcul. XV.
 sia schisma fovere non dubitaverit (*). A. C. 1447.
 Præterea magnam sibi invidiam parave-
 rat ex eo, quod Nepotem suum non mo-
 do

(*) Prudentis, æqui bonique amantis Le-
 ctoris iudicio decidendum relinquimus, an Eu-
 genius, num vero ambitiosi Basileenses hujus
 schismatis auctores, fautoresque extiterint.
 Ergone Rex aliquis, ubi ejus Senatus regiam
 auctoritatem ad mimicam figuram, potestate
 ac imperio in suos destitutam redigere, ac pro-
 pterea in Regno suo dissidia suscitare molitur,
 nisi usurpatæ eorum violentiæ cedat, schisma
 in Regno aluisse dicetur? Ignavus, & digni-
 tatis suæ proditor fuisset Eugenius, si Mo-
 narchicum Ecclesiæ regimen deprimi conces-
 sisset, quod tamen ipse Carolus VII. Galliarum
 Rex in oratione, quæ extat in MS. Bibl. Vat.
 sign. n. 4177. p. 12. necnon Fridericus Impera-
 tor cum omnibus Germaniæ Principibus, at-
 que Hispaniæ, Castellæ, Poloniæ &c. Regibus
 tunc aperte professi sunt, & etiamnum profi-
 tentur. Imo Platina Scriptor aliunde summis
 Pontificibus adulari nescius Eugenio vitio tu-
 lit, quod Concilio Basileensi, unde infinita mala
 orta sunt, auctoritatem dederit, approbatis
 eorum per literas Apostolicas decretis; verum,
 prosequitur Platina, postea ad seipsum rediens,
 omnia prudenter, ac constantissime egit.

Sæcul. XV.
A.C. 1447.

do ad Cardinalatus dignitatem evexerit, sed etiam honoribus, & dignitatibus cumulaverit, atque in eum regiminis sollicitudinem liberalius transtulerit. (*) Hic enim cocervandis opibus unice intentus, suisque voluptatibus indulgens, adeo dure habuit Romanos, ut hi perversos illius mores ultra ferendo impares, atque injuria, qua eos affecerat, vehementer concitati, arma in Papam converterint, qui ægre admodum Monachi vestes indutus, trajecta Tyberi vitæ suæ fuga confuluit.

*Auct. vitæ
Eug apud
Raynald. hoc
ann. n. 13.*

Plures alii Scriptores hunc Pontificem præclaris laudibus celebrant: hunc in finem consuli potest elogium, quo eum Raynaldus extollit. Alii econtra forte nimio erga Basileensem Synodum affectu præventi illum dente Theonino arrodere haud dubitarunt. Ast illius virtutes & vitia æqua lance ponderare solius est supremi illius

(*) De hoc qualicumque erga Nepotem suum affectu altum silentium apud Æneam Sylvium, ceterosque quamvis alias Pontificibus infensos Scriptores. Vitæ ejus Auctor anonymus hæc habet: *Eugenius Nepotes suos in Pontificio Palatio aluit, nullo ab aliis Pontificiæ Familiæ Equitibus discrimine.* Quæ vero Platina refert, in Nepotis culpam, non in cæcum Eugenii erga Nepotes affectum refundit.

lius Judicis, qui scrutatur corda, & re- Sæcul. XV.
A.C. 1447.
 nes hominum; Hic haud raro in actio-
 nibus nostris bonitatem, aut pravitatem
 longe majorem, quam humani oculi im-
 becillitas assequi valet, deprehendit. No-
 bis sufficiat, quod Evangelii lumine illu-
 strati videre possimus, quæ vituperare,
 quæve in illo laudare debeamus, illa aver-
 santes, hæc æmulantes.

§. CXLVIII.

*Epistola Regis Arragoniæ ad Colle-
gium Cardinalium.*

Alphonsus Rex comperta Eugenii mor-
 te, mox ad Sacrum Collegium suos
 decrevit legatos, qui dolorem suum con-
 testarentur, simulque illos adhortarentur,
 ut Virum doctrina, ac probitate insignem,
 Ecclesiæ Successorem subrogare solliciti
 essent, quibus etiam fidem suam obstrin-
 xit, se non modo ab omni violentia ipsis
 quocumque modo inferenda omnino alie-
 num, sed etiam paratissimum esse, futu-
 ræ electionis libertatem, quamprimum
 requisitus esset, armis etiam tueri. Re-
 sponderunt Cardinales, se piæ Regis vo-
 luntati plurimum esse obstrictos, nec se ul-
 lo pacto dubitare. quin promissorum am-
 plitudinem (si occasio tulerit) operis con-
 stantia æquatúra esset.